

4 in Nl 11 80

4

AXIA

G. 2244  
nie sadie talion  
W. 2621

Key: Ma + Univerfal  
to be in ungettegen, thons  
und fegning im Zund  
unferung

4.





**MAXIMILIANVS** secundus, diuina fauente clementia Electus Romano-  
rum Imperator semper Augustus, ac Electus Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae, Samogitia, Kionia, Volbiniae,  
Podlachiae, Liouoniae, &c. Dominus &c. Reuerendissimis, Reuerendis, Illustribus, Spectabilibus, Magnificis, Generosis, Nobilibus, famatis,  
Archiepiscopis, Episcopis, Palatinis, Castellanis, Officialibus, Capitaneis, dignitarijs, equitibus, Ciuitatum Proconsulibus, cōmunitatibus, ac om-  
nibus alijs Regni nostri Poloniae & Magni Ducatus Lithuaniae statibus, syncerè ac fidelibus nobis dilectis, Salutem & gratiam nostram  
Regiam ac omne bonum. Reuerendissimi, Reuerendi, Illustres, Spectabiles, Magnifici, Generosi, Nobiles ac famati syncerè ac fideles dilecti.  
Quum superioribus annis, Serenissimi quondam Principis, domini SIGISMUNDI AVGVSTI, Regis Poloniae &c. obitu, res Polonicae ac Ma-  
gni Ducatus Lithuaniae, ad Interregnum deductae, ac postmodum Serenitatis suae successore, Serenissimo Principe, Domino HENRICO, nunc  
Franciae Rege Christianissimo, in suum istud hereditarium regnum reuerso, denuò eò reuacta essent, vt eiusdem inclyti Poloniae Regni, ac Magni  
Ducat<sup>o</sup> Lithuaniae Ordines ad noui Regis Electionem sibi legitime transeundum censuerint: Nos tam primi, quàm secundi Interregni tempore,  
haud vlla ambitione, vel immoderata regnandi cupiditate, à qua longissimè semper abfuimus, neq; priuati alicuius cōmodi causa, sed ipsius potius  
Poloniae & Lithuaniae, totiusq; Reipub. Christianae bonum, quietem & tranquillitatem auandis studio ad regnum istud animam adiecitimus. Vi-  
debamus enim, quantum vniuersae Christianitatis interesset, non solum amicitiam illam bonamq; vicinitatem, quae illis eousq; cum Regnis & Do-  
minijs nostris intercessit, totq; iam seculis coaluit, ac magno subditorū cōmodo culta fuit, conseruari, sed vtraq; Regna & Domina, vti vicina, ita  
Christianae fidei hostilibus aequè exposita, nouo etiam eòq; firmissimo vinculo sibi inuicem iungi. Hincq; factum est, vt vtroq; quo de Rege eligendo  
agebatur, tempore, Serenissimum ERNESTVM, Archiducem Austriae &c. filium nostrum charissimū, vt cuius Electione Regno isti ac Reipub.  
Christiana optimè consultum fore nobis persuasum esset, Regni ac Magni Ducatus Lithuaniae ordinibus proponere voluerimus Et quamuis Di-  
lectionem suam multis grauissimis de causis nostrae personae praefendam censuerimus, existimauimus tamē, quod si res eo deueniret, vt ordines &  
status nostri potius, quàm filij rationem haberent, nos nec tali casu reipublica deesse posse. Cum igitur aeterna prouidentia secutus sit, vt nos supe-  
riore mense Decembri in Regem Poloniae ac Magnum Ducem Lithuaniae ritè ac legitime electi, ac solenni more per eos, ad quos a iure & cōsuetu-  
dine pertinet, nominati publiceq; renuntiati simus, equidem nihil magis in votis habuimus, quàm vt huiusmodi Electione per eiusdem regi et Ma-  
gni Ducatus Oratores nobis denunciata, id, quod ad capeffenda delata nobis Regni gubernacula nostrarum erat partium, quàmprimum peragerem-  
us. Verum cum nonnullos Regni ordines, suis rationibus ductos, ad contrariam nostrae electionem progressos esse intelligeremus, ab eo, quo pri-  
mum ad negotij huius tractationem nos accessisse ostendimus, publici boni & tranquillitatis studio haud alienum duximus, vt primò omnium eas  
rationes & vias iniremus, quibus res ad concordiam reduci posset. Adeoq; nihil intentatum reliquimus, quod eò pertinere iudicauimus. Nam non  
modo Vayvodam Transsylvanicae, positus ei diligenter ob oculos difficultatibus illis, periculis atque calamitatibus, quae alioqui expectandae forent, tam  
per literas, quàm specialem nuntium, à Regni minus legitime sibi delat acceptance dehortati sumus, nobis sic persuasum habentes, quod cum in  
Varsouiensibus Comitibus, vterq; eius Orator ordines & status cohortati essent, vt nobis a Domui nostrae Austriae primum locum tribuerent, eo-  
rum memor nostris monitis minus difficulter locum daturus esset: Verumetiam ad indicium ab ijs, qui à nostra legitima Electione dissentiunt,  
Andreouien. Conuentum praecipuae auctoritatis Oratores destinauimus, qui mitigatis illorum animis ad saniora consilia amplectenda ipsos induce-  
rent. Tantum verò abfuit, vt alterutro in loco quicquam profecerimus, vt nostri etiam Oratores Andreouiae non ante admissi auditiq;, quàm ijs  
omnibus, quorum causa illi ibidem conuenerant, constitutis, demum verò nullo alio, quàm tali cum responso, quod Legatos ad nos missuri essent,  
recedere coacti fuerint. Num tamen nostri instituti esset, talia cōsilia proponere, quibus & publico Regni, ac totius Reipub. Christianae bono & quieti  
haud dubiè optime consultum fuisset. Ex quibus etsi satis colligi potuerit, parum spei reliquum esse, rem eò deducendi, quod nos semper spectauimus.  
Nihilominus tamen nec tunc nostrum in Poloniam aduentum maturare, sed ne vlla dissentientibus eiusdem Reipub. Ciuibus in sua viscera saui-  
endi occasio à nobis praberetur, quin potius concordiae ineunda tantò cōmodius vacare possent, pro nostra in Polonia Regnum & rempub. pietate,  
ac benigna integerrimèq; affectione, eundem aduentum nostrum differre, quàm festinatione aliqua dissentientium animos magis exacerbare volui-  
mus: ea praesertim spe, fore, vt alio quopiam in loco idonea aliqua, ac à dignitate nostra haud aliena concordiae ratio iniretur. Quoniam verò ha-  
etenus non is, quem expectauimus, secutus est effectus, sed generalis ad nonam diem mensis proximè venturi Varsouiam indictus est Conuentus,  
Nos etsi ijs peragendis, quae ad nostri legitime quaesiti Iuris confirmationem pertinerent, diutius deesse nolimus, adeoq; hesternae die, quod faustum,  
ac tam Poloniae Regno, quàm vniuersae Reipub. Christianae salutare sit, oblatū nobis ab eiusdem Regni & Magni Ducatus Lithuaniae ordinibus  
Iuramentum praestitimus, simulq; priuilegijs ea omnia, quae à nobis requirebantur, confirmauimus, & approbauimus, ac demum Electionis Decre-  
tum in nomine DEI altissimi suscepimus: Tamen cum etiamnum nihil magis cupiamus, quàm Regni istius & Magni Ducatus dignitati & ra-  
tionibus, simulq; vniuersae Reipub. Christianae quieti & tranquillitati consultum esse, idq; tantò maiori desiderio, quò magis nobis ob oculos ver-  
satur ruina & interitus, ex intestina Ciuium dissensione expectandus: cum illa, sicut omnibus rebus publicis semper fuit exitiosa, ita Poloniae quoq;  
Regno alium euentum non videatur esse allatura, nec nunc aduentum nostrum accelerare, sed Regni ordinibus per nostros ad Varsouien. illum  
Conuentum, quem (si modò temporis breuitas patiatur) suum habere progressum inprimis cupimus, sin minus, continuandum, vel in aliud tem-  
pus prorogandum censemus, destinandos Oratores pacis & concordiae consilia amplectenda proponere, ipsisq; permittere decreuimus, vt quibuscunq;  
medijs & rationibus ad sananda Reipub. vulnera & concordiam ineundam descendere possint. Salua tamen nostra dignitate. Ita scilicet, ne Ba-  
toreus, nobis longè inferior, non sine grauissima contumeliae nota, ac totius Reipub. Christianae detrimento & exitio, cuius auertendi nobis praeci-  
pua cura est, nobis praefatur. Et quia Serenissimi infantis persona huic negotio est annexa, vt Serenissimus filius noster, Archidux  
ERNESTVS eidem infanti matrimonio, si ipsis ordinibus Regni Poloniae ac Magni Ducatus Lithuaniae visum fuerit, iungatur. Dabimus au-  
tem Oratoribus nostris talia mandata, quibus ad omnia ea, quae ad pacem & concordiam vspiam pertinere possunt, ita sint instructi, vt ordines &  
status nihil planè desideraturos cōfidamus. Quod si verò pars aduersa his iustis et honestis rationibus & medijs locum dare nolit, sed in sua illa opi-  
nionem persistat, utiq; nec nos dignitati & Iuribus nostris tuendis deesse, nostrosq; deserere poterimus. Imò quàmprimum per eos, qui nostras partes  
sequuntur, certiores facti fuerimus, de aduersariorum suo in proposito pertinacia, in Regnum primo quoq; tempore properabimus. Neq; omitteremus,  
quin praefatis Oratoribus nostris inter cetera id negotij demus, vt quia Regni istius Magniq; Ducatus, ac omnium vtriusq; prouinciae Ciuium &  
subditorum quieti & securitati prospicere cupimus, quoad praesidia, contra hostium incursiones, necessaria, cum Regni & Magni Ducatus ordini-  
bus & statibus de ijs cōsiderent, quae imminentis periculi qualitas postulare videbitur, tum etiam ea, quae Oratores nostri, quos superioribus mensib.  
in Moschouiam ablegauimus, in Regni istius & Magni Ducatus vtilitatem egerint atq; effecerint, statibus referant. Quae cum ad vestrum omnium  
& singulorum notitiam his nostris literis deducere voluimus, tum verò vos benignè hortamur & requirimus, vt futuris illis comitijs frequenter  
adesse, ac negotio ea, qua diximus, ratione ad concordiam reducendo omni maiori studio incumbere velit. In quo vti vobis ipsis, coniugibus ac li-  
beris vestris, patrie dnuq; ac vniuersae Reipub. Christianae optimè cōsulturi, ita nobis rem longè gratissimam facturi estis, Regia nostra benigni-  
tate quauis occasione recognoscendam. Datum in Ciuitate nostra Vienna, die Vigesima quarta mensis Martij. ANNO DOMINI, Millesimo,  
Quingentesimo, Septuagesimo sexto. Imperij nostri decimo quarto, & Regni Poloniae primo. 24. III.

Maximilianus